Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctilogium Angliae, Walliae, Scotiae, et Hiberniae, ergänzt durch weitere Heiligenlegenden und -viten - Cod. St. Georgen 12

Johannes <Tinmouthensis>

[s.l.], um 1425

Illustration: [Historieninitiale; Pfingsten]

urn:nbn:de:bsz:31-68928

Visual Library

Conversa denique tota urbe, ecclesiam construxerunt, et diversos
ordinum gradus apostoli instituerunt, et abdiam virum fidelissimum
evangelica doctrina imbutum quem secum a ierosolimitanis ho-
ris adduxerant, antistitem super christianam plebem. et eutropium
archidiaconum ordinaverunt, et profecti sunt ad alias urbes ver-
bum dei praedicantes. Qui cum per martyrii triumphum sollici-
tudinem suam consummassent, beatus eutropius eorum passionem
caldaicis et grecis litteris commendavit. Audiens vero famam mira-
culorum et virtutum beati petri, seculo omnino abrenuncians,
accepta ab episcopo licencia, patre suo ignorante romam adiit.
Qui cum a beato petro diligenter esset receptus, divinis preceptis
ab eo imbutus, cum eo aliquamdiu demoratus, iussu et
consilio eius regionem galliarum cum aliis fratribus praedicando
aggreditur. Cumque urbem que santonas dicitur intrasset,
per plateas et vicos eius pergens, verbum dei instanter prae-
dicabat. Quorum ut eum cives barbarum virum esse cogno-
verunt, et eum trinitatis et baptismatis verba sibi inau-
dita praedicantem audissent, illico indignantes extra urbem
in quodam monte eum eiecerunt. Ubi diu commoratus est.
Praedicabat enim per diem in urbe, et nocte vigiliis, precibusque
ac lacrimis in tugurio illo pernoctabat. Qui cum per longissi-
mum tempus non nisi raros quosdam praedicatione ad christum conver-
tere potuisset, romam denuo adiit. et passo beato petro,
a sancto clemente qui iam papa erat admonitus est ut
ad praefatam urbem rediret, et praedicans divina precepta mar-
tyrii coronam in ea expectaret. Denique ab ipso papa ordine
episcopali suscepto, una cum beato dionisio qui a grecie finibus
romam advenerat, simul cum ceteris fratribus quos ipse clemens
ad praedicandum in galliam dirigebat, antisiodorum pervenit,
invicemque divine dilectionis amplexibus, lacrimosisque salutati-
onibus discedentes, dionisius cum sociis suis parisiacam
urbem adiit, et beatus eutropius rediens santonas forti-
ter animatus ad tolerantiam passionis. zelo christi repletus,
velut amens importune instans, fidem divinam praedicabat,
orabat enim nocte in praefato tugurio sicut prius. Illo ita-
que praedicante, multi ab eo baptisabantur. Inter quos etiam
eiusdem urbis regis erat filia nomine eustella. Quod ut pater
eius agnovit, abhominatus est illam, et extra urbem eiecit.
Illa autem cepit iuxta sancti viri tugurium commorari. pater
tamen nate sue amore compunctus, misit sepe nuncium ad
eam ut domum rediret. Illa vero respondit se malle extra urbem
pro fide christi commorari. Tunc pater ira commotus, convocatis
totius urbis carnificibus quingentis, quinquaginta solidos
tradidit illis, ut sanctum eutropium perimerent, virginemque secum
ad patris thalamum adducerent. Illi autem pridie kalendas
maii, commixta multitudine gentilium, venerunt ad sancti
viri tugurium, et ipsum primitus lapidantes, fustibus postea et
corrigiis plumbatis ipsum verberaverunt. Demum securibus
et asciis illiso capite peremerunt. Prefata vero puella una
cum quibusdam christianis nocte illum in tugurio ipsius sepe-
lierunt, ac vigiliis et luminaribus, obsequiisque divinis obser-
vavit incessanter quamdiu vixit. Que cum ab hac vita migra-
ret, iuxta magistri sarcofagum se iussit sepeliri. Postea
vero super beati eutropii corpus, ingens basilica a christianis
miro opere fabricatur. in qua a cunctis morborum generibus deten-
ti liberantur. et cathene ferree, ac manice, ceteraque instru-
menta ferrea diversa, e quibus beatus eutropius vinctos li-
berat, suspenduntur. In maiori britannia, sancti erken-
waldi episcopi, qui nobili prosapia ortus, et mellito civitati-
ensis archiepiscopi auctore successus, et ipse londoniensis
episcopus effectus, construxit duo monasteria, scilicet certesey
monachorum, et berkingum monialium. cui praefecit sororem
suam sanctam ethelburgam. post quam sancta hildelitha praefuit,
ad quam sanctus aldelmus scripsit librum de virgini-
tate. Hic primus de gente anglorum londoniensis episcopus

Capitula li. xx. c. xv.

factis, ieiuniis, vigiliis, et miraculis choruscans in pace
feliciter a seculo transivit.

Explicit liber quartus. Liber incipit quintus.

Kalendis maii. De sancto Philippo apostolo.

Philippus apostolus cum viginti annis
per scithiam praedicasset, a paganis te-
netur. ad immolandum statue martis ab
eisdem compellitur. Tunc subito de-
sub base in qua statua illa stabat,
ingens draco exiit. et filium pontifi-
cis qui ministrabat ignem sacrificii
interfecit. Peremit etiam duos tribunos
qui praerant provincie, cuius officiales tenebant in vinculis apostolum.
De flatu autem draconis omnes morbidi vehementer egrotare
ceperunt. Tunc dixit apostolus omnibus. Audite consilium meum et
recuperabitis sanitatem, mortui resuscitabuntur, et draco fuga-
bitur. Dicunt illi omnes. Dic nobis quid faciamus. Quibus
ille. Deicite martem hunc, et in loco eius crucem domi-
ni ihesu christi affigite, eamque adorate. Tunc illi qui egrot-
abant, clamare ceperunt. Revertetur in nobis virtus, et
deiciemus martem hunc. Facto itaque silencio, apostolus in
nomine ihesu christi draconem fugavit, ita quod festinantissime
exiens ultra nusquam comparuit. Tres quoque predictos mor-
tuos suscitavit, ceteramque turbam flatu draconis morbidam
sanitati restituit. ita ut omnes qui prius persequebantur
eum, penitentiam agentes, ihesum christum adorarent. Ipse autem
per unum annum integre docuit eos ea que de christo sunt, et mul-
ta milia hominum credentes baptisati sunt. Ordinatis autem
clericis, et episcopis, multisque ecclesiis constructis, ipse per revelacionem
ad asiam rediens, in civitatem ierapolim venit. ibique here-
sim hebionitarum qui christum carnem phantasticam assumpsisse
dogmatizabant, extinxit. Erant autem illi due filie sacra-
tissime virgines, per quas dominus multos ad fidem convertit.
Philippus autem ante septem dies obitus sui, omnes episcopos
et presbiteros convocavit, eisque dixit. Hos septem dies
propter admonitionem vestram michi dominus concessit. Erat autem
annorum septuaginta septem. Post hec infideles ipsum tenue-
runt, et cruci instar magistri quem praedicabat affixerunt. et
sic ad dominum migravit. et feliciter vitam complevit. Iuxta
eum autem due filie eius, una a dextris, et altera a sinistris
apposite sunt. Alius enim philippus differt ab isto. quia iste
fuit apostolus. ille diaconus. Iste quiescit apud ierapolim. ille
apud cesaream. Iste habuit duas filias prophetissas. ille quattuor.
licet ecclesiastica historia videatur dicere quod fuit philippus apostolus
qui habuit quattuor filias prophetissas. sed in hoc magis ieronimo
est credendum.

Cap. primum.
Ex le. au. c. lxv.

De sancto Iacobo apostolo.

Apostolus domini iacobus vocatus est iacobus alphei. scilicet
filius. iacobus frater domini. iacobus minor. et iacobus iustus.
Iacobus alphei dicitur, non secundum carnem tantum, sed secundum nominis inter-
pretacionem. Alpheus interpretatur doctus vel documentum, vel fu-
gitivus, vel millesimus. Dicitur ergo iacobus alphei. quia fuit
doctus per sciencie inspiracionem. documentum per aliorum erudicionem.
fugitivus de mundo per despeccionem. et millesimus per humilitatis
reputacionem. Frater quidem domini dicitur. ex eo quod simillimus sibi
fuisse perhibetur. adeo ut plerique in eorum specie fallerentur. Un-
de cum iudei ad capiendum christum pergerent a iuda, qui ipsum a iacobo
tanquam eorum familiaris optime discernebat, signum osculi ac-
ceperunt. Hoc enim testatur ignacius in epistola ad iohannem evan-
gelistam sic dicens. Si licitum est michi apud te, ad ierosolime
partes volo ascendere, ut videam illum venerabilem iacobum
qui cognominatur iustus, quem referunt christo ihesu simillimum

C.
Idem c. lxvi.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg